Jahres-Bericht

des

Gräflich Stolbergischen

Gymnasiums zu Wernigerode

über

das Schuljahr von Ostern 1872 bis Ostern 1873,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 3. April

ehrerbietigst einladet

der Rector

Wilhelm Bachmann.

Praemittit disputationem, qua antiquitatis Germanicae reliquias, quae Wernigerodae asservantur, ad illustrandam Taciti Germaniam adhibere conatur.

Wernigerode,
Druck von B. Angerstein.
1873.

Decimum iam annum agimus, ex quo anno antiquum nostrum Lyceum gymnasiorum iura recepit, duodecimum nunc scribimus id genus annalium, quibus, quaecunque singulis annis acta memoria digna videntur, conferre solemus. E quo temporis spatio non ita quidem magno, sed, si vitam humanam et virilis aetatis annos spectamus, haud exiguo, si, quae nobis contigerint, in memoriam redigimus, non possumus non gratiam habere Deo Optimo Maximo, qui multo plura nobis dederit, quam umquam speravimus. Optavimus enim aliquando, ut cresceret et efflorescerct schola auspiciis Illustrissimi Comitis ferretque posteris, quos proximo potissimum saeculo tulisset maioribus fructus. Quo voto quam maxime id spectavimus, ut, quemadmodum multis ante annis, ita nunc quoque iuvenes bene praeparati ex huius scholae umbraculis continuo ad spatia academica transire possent. Vix vero decem annis praeteritis plus quinquaginta adulescentes maturitatis testimoniis ornati a nobis dimissi sunt, quorum permulti iam reipublicae munera suscipere coeperunt. Exiles autem tunc scholae rationes quantum nunc mutatae sunt et adauctae! Quo enim die scholae vetustae iusti gymnasii dignitatem publice restitutam esse audivimus, eodem antiquam domum et restitutam et compluribus conclavibus, imprimis autem atrio maiore aptissimeque usui solemni adornato possederamus amplificatam. Succrevit deinde discipulorum multitudo, adauctus est et classium et praeceptorum numerus. Neque nobis ille rerum status indignus esse videbatur, neque maiora sperabamus. En civitas Wernigerodensis honestissima rerum scholasticarum patrona cum de impensis, quae imminerent, anxia se tuendae scholae oneri parem futuram esse desperaret, petiit a Comitis Illustris gratia ac munificentia saepe iam cognita et probata, ut illa cura et onere liberaretur, non dubia, quin optime ita et gymnasio et rebus scholasticis consuleret. Ita factum est, ut schola traderetur in fidem ac tutelam Illustrissimae gentis Stolbergo-Wernigerodanae, qua rerum mutatione id quoque evenit, ut ab aede Sancti Silvestri, ubi tria saecula per laeta per adversa viguerat, in domum, ubi nunc est, a Comite nuper splendidissime et ornatissime aedificatam transferretur. Quam qui primum conspiciunt, vix artium earum, quae ad humanitatem pertinent sedem atque refugium, sed hominis alicuius honorati et principis aedes esse suspicari solent. Qui vero introierunt et omnia oculis diligenter collustrarunt, eorum nemo fuit, cuius animo non viderim fuisse satisfactum. Ita omnia aptissime et ornatissime parata esse videntur et confecta. Quare neque dubito, quin futurum sit, ut, quae adhuc desiderantur, eadem qua cetera liberalitate et beneficentia comparentur, neque, e quo tempore translatum est patrocinium, defuit, cur tam superbam liceat ostentare fiduciam. Cum enim novam domum videbamus exsurgentem eiusque spatii, quod bibliothecae destinatum erat, admirabamur amplitudinem neque illi, quae tunc erat, respondentem librorum paucitati, sed nimiam eam esse putabamus, iam consuluerat novi patroni cura atque gratia, ut insigni litterarum supellectile gymnasium exornaretur. Emptis enim eis libris, qui ab Augusto Meinekio viro doctissimo et de litterarum studiis optime merito relicti fuerant, egregium nunc usum habet illud spatium, ut iam plures sint, qui bibliothecae amplitudini quam qui aedificii splendori ac magnificentiae invideant.

Quae adhuc minus bene comparata erat rerum physicarum supellex, ei nunc provideri coeptum est. Verum et ipsi praeceptores propter insignem suarum rerum curam Celsissimo patrono, ut ante *litterarum secretis* (liceat Taciti verbis uti), ita nunc in luce publica gratias agere debemus. Jam pridem nec solum hoc loco, sed ubique praeceptorum omniumque, qui muneribus publicis fungerentur, salaria annua nimis angusta esse constabat. Nobis quidem iam bis terve ea aucta esse libenter et summa cum gratia confessi sumus; quae vero ubique est omnium rerum ad vitam sustentandam necessariarum caritas, ea paulatim et hic iam magis sentiri coepta est. Cui rei providens anno proximo patronus praeceptorum reditus ita auxit, ut hac ratione gymnasium nostrum ne Regiis quidem cedat.

Sed in laudibus fortasse iam nimius fuisse videar, nisi, qua aetate plurimi suis rebus non contenti alias semper expetant, permultos non male ferre talem magniloquentiam existimem. Quis praeterea non libenter ferat civem laudare et exaggerare suam quamvis sit exigua civitatem? Liceat igitur etiam in conscribenda hac dissertatione nos continere eis fere rationibus finibusque, quibus hic circumscripti sumus.

Archaeologi quis nescit quantum studiis suis contulerint ad illustrandos scriptores veteres et ad res antiquas rectius cognoscendas? Quot locis, in quibus interpretes haerebant, quique difficiliores videbantur, lucem afferentes summas, quae antea fuerant, expediverunt difficultates? Ad quae studia promovenda quid plus valere existimandum est monumentorum frequenti adspectu? At haec quia haud multis locis esse possunt, nec ubique illa florent, nec hac in urbe eorum umquam fuerunt vestigia. Sed aliud est investigandis monumentis antiquis repertisque rectius explicandis de his studiis et litteris bene mereri, aliud receptis eis, quae alii reppererint, delectari recolendoque animo vitam reddere iucundiorem. Alterum fieri non solet, nisi in ipsa Graecia et Italia aut ubi magna monumentorum congeries est et abundantia inde allatorum; alterum licet etiam minore in copia, suppetente tamen ad animum informandum. Satis enim valent ad pulchritudinis sensum in animis adulescentium excitandum antiquorum artificiorum imitationes.

A Graecis autem, populo ad pulchritudinem artemque nato, non solum, quae in litteris pulchra, sed etiam quae in artibus summa et perfectissima iudicanda sint, discitur.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui praeter laudem nullius avaris.

Sed habeamus necesse est, quibus considerandis non solum illum sensum in nobis excitemus, sed etiam animum revocemus a pravis huius aetatis studiis eaque perversitate, quae quotidie magis in omni vitae cultu percrebrescit, imprimis statuarum, gemmarum, vasorum signorumque omnium imitationes. Quae quamquam vel in minoribus gymnasiis et oppidis conspiciuntur, adhuc apud nos desiderantur. At *non si male nunc, et olim sic erit.* Sperare licet a benigna illa manu, quae tanta in nos effudit beneficia, etiam haec aliquando nobis affore studiorum adiumenta.

Iam vero adest prope urbem rerum antiquarum copia, quam adesse multi viri docti nec suspicabantur, et cum cognovissent, longe exspectationem superasse ingenue fatebantur. Quae quidem non cohaeret cum arte Graecorum et Romanorum, sed, quod, qui ingenium moresque Comitum Stolbergensium cognoverint, non mirabuntur, ad Germanorum antiquitatem pertinet. Magna cum cura et industria eam collegerat Christianus Fridericus Bernhardus Augustinus, Lycei nostri quondam optimae spei alumnus, qui cum egregiis studiis summos in theologorum philosophorumque ordinibus honores adeptus esset, de litteris optime meritus anno huius saeculi LVI Halberstadii, ubi plus quinquaginta annos aedis Sancti Stephani fuerat antistes, summa in senectute diem obiit supremum. Hanc copiam quattuor abhinc annos emptam Botho Comes Illustris Stolbergo-Wernigerodanus Wernigerodae et esse et prodesse voluit. Licet igitur non sit verisimile ad antiquorum

populorum i. e. Graecorum et Romanorum vitam cognoscendam quidquam ex hoc fonte hauriri posse, tamen Germanorum mores et consuetudo his reliquiis bene illustrantur, et pauca fortasse poteris inde colligere, quae non male conferas ad antiquos libros de Germanorum vita ac moribus interpretandos. Quae quamquam non ita multa sunt nec ad hoc ipsum magni momenti, tamen non alienum videtur ea hic recensere, quod discipulorum animos excitare possunt et ad investigandum inquirendumque alliciunt. Inter libros autem, qui huc spectant, cum adulescentes fere solum in Taciti de situ moribus et populis Germaniae libellum incumbant, huius sequentes sententias eundemque fere rerum ordinem illa recensere conabimur, praemissis quibusdam de domiciliis, quae quidem non in Museo nostro reperiuntur, sed in alvo terrae multa per saecula in comitatu Wernigerodano servata sunt. In extrema disputatione addemus pauca de sacrificiis et de sepultura antiquorum Germanorum.

Et de domiciliis quidem legimus apud Tacitum in Germaniae capite XVI, ubi postquam de universa apud eos habitandi atque aedificandi ratione disputavit, ita pergit: *Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eius modi locis molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.* Cum eis, de quibus antea locutus est, domibus specus subterraneos opponat, supra eum de editioribus aedificiis disserere nemo non videt. Horum aut nullas aut paucissimas esse reliquias mirum non est, illorum et alibi non deesse vestigia audimus et in finibus huius comitatus adesse Adolphi Friederichii nostri de studiis antiquitatis Germanicae optime meriti curae sagaces detexerunt. Duobus enim in collibus ad viam priscam inter Wernigerodam et vicum vetustissimum Veckenstedt, qui nunc Koehlerbrink et Stukenberg vocantur, satis certa ille repperit vestigia, quae Taciti verba cum egregie illustrant, tum insignis rerum scriptoris enarratione exoptatissimam lucem accipiunt.[1]) Et in illo quidem colle, qui a carbonariis nomen accepit, Visurgis et Albis fluminum in hoc pago divortio, ab eis, qui arenam petebant et eruebant, compluribus ex annis declivia passim ita erant discissa, ut unum vel plures etiam pedes sub caespite lapides fuligine obliti alba in arena conspicui praetereuntium oculos in se convertere possent, Friederichii certe animum ad rem accuratius investigandam incitarent. Qui cum vasorum etiam fictilium fragmenta conspiceret frequentissima, intermixta praeterea boum suum cervorum ossa agnosceret velut ea, unde medulla petita est, scissa et fracta, facile sibi persuasit focos adesse antiquissimos. Qui foci ternis saltem, saepius pluribus lapidibus ita compositis, ut terna latera clauderent, quartum apertum haberent, conditi plerumque spatium binorum pedum aut minus continebant satis aptum cum ad recipienda ligna tum ad vasa tenenda. Talium focorum, qui alius magis alio erant perturbati, Friederichius et plus triginta ipse patefecit, et in agro quattuor fere iugerum plus centum fuisse existimat. Neque illud virum acerrimum fugit omnia aedificia in aprico collis latere in meridiem vergente condita fuisse, in septentrionali autem nullas esse eorum reliquias.

Eius collis, cui Stukenberg est nomen, maiorem quidem partem usque ad hunc diem omnino non adierunt, ut, quae in ea lateant, ignoremus, quibusdam vero in locis similes foci detecti sunt aliaeque subterraneorum aedificiorum reliquiae; sed cum ab eis, qui arenam petebant, negligerentur, quin etiam diruerentur, cur numero multo minores fuerint, perspicuum est. Inter hos unus quinque ante annis detectus ita erat comparatus, ut Friederichio dignus esse videretur, quem accuratius describeret. In colle ita abscisso arduoque, ut instar muri essent declivia,

[1]) Vid. Zeitschrift des Harz-Vereins für Geschichte und Alterthumskunde. Erster Jahrgang p. 126 seqq.

quattuor pedes sub caespite apparuit acervus cineris carbonumque trium pedum in altitudinem, quattuor in latitudinem ac longitudinem. Suberat focus lapidibus suo ordine dispositis exstructus. Sed duobus in angulis duos pedes inter se distantes fictiles duae pyramides quadrilaterae erant superimpositae, quibus duas alias a suis locis remotas atque in illa strue prostratas addendas esse non iniuria ille suspicabatur. A basi autem duodena centimetra patente in septendenorum centimetrorum altitudinem ita erant fastigatae, ut in obtusum cacumen sena centimetra latum desinerent. Cacumina e transverso erant perforata, ut aptum sive ferrum sive lignum transmittere posses. Intra has pilas angulares et juxta tanta erat strages et congeries non solum cinerum, carbonum, testarum, sed imprimis etiam coctorum laterculorum, quanta nisi collapsa camera fieri non posse videretur. Erant autem haec fragmenta tam mire perforata et striata, ut ad investigandam eius rei causam animum incitarent. Friederichio causa haec fuisse videtur. Illud quod diximus foci amiculum ita ei factum esse visum est, ut, qui focum condiderat, exstructum quoddam super eum cratium genus argilla incrustaret succensoque igni duraret. Ligni flammis consumpti remanebant in argilla cocta formae atque vestigia.

Quem usum focus habuerit, utrum conditus fuerit *ad molliendum rigorem frigorum*, an ad coquendos cibos, an fornax figuli fuerit, in medio relinquimus. Si illum primum tantum habuit usum, vix intelligitur, quid sibi voluerint illi lapides pyramidales; sin alterum, traiecto per foramina ferro coniuncti aut tripodis vice aut ad suspendenda vasa potuerunt adhiberi. Ad stabiliendam hanc sententiam possumus afferre, quod in similibus lapidibus, qui innumerabiles exstant, aut ferrum aut ferri vestigia reperiuntur.[1]) Fortasse licet etiam monere in Pannonia hos lapides Feuerhunde vocari.[2]) Si denique fornax figuli fuit, non omnino quidem inepta est opinio, eos in ipso fornace aliquem usum habuisse, sed multo probabilius, eos alienum in usum et formatos et coctos fuisse. Et iam compluribus ante annis Fridericus Ritschelius docta illa, quam laudavimus, disputatione demonstravit hos laterculos in textrina et in tela quidem recta locum habuisse, *cum tela suspensis his ponderibus rectum stamen extenderet.* (Senec. ep. 90.)

Constat mulieres Germanas artem texendi exercuisse. Vid. Germaniae cap. XVII. *Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant.* Probabile est eas quoque antiquissimam illam rationem, quam usque in proximum saeculum in Islandia[3]) mulieres servarunt, secutas esse.

Quod nulla in illis lapidibus usus conspicimus vestigia, quae in aliis huius generis ponderibus, quippe quae ad foramina filis striata sint, non desiderantur, mirum non est, cum vix aut nondum e fornace figuli prodierint. Germanas etiam nevisse, et e texendi arte, quam exercebant, patet et e quinque verticillis, quae in Museo asservantur, cognoscimus.

Vasorum apud Tacitum mentio fit in Germaniae cap. V. *Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quae humo finguntur.* Nemo exspectet de argenteis vasis, quae in Museo nostro asserventur, disputationem. Neque enim hac orientali silvae Hercyniae in parte idem contigit, quod paucis ante annis in septentrionali Hildesiae evenit, ut ditissimus argenteorum vasorum thesaurus e terra effoderetur. Fictilium autem vasorum permagnus numerus hic asservatur, quae partim satis integra effossa sunt, partim egregia

---

1) Cf. Ueber antike Gewichtsteine von Friedrich Ritschl. Bonn 1866. Aus dem XLI. Hefte der Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande besonders abgedruckt pag. 6.

2) Cfr. Abbildungen von mittelalterlichen und vorchristlichen Alterthümern in den Gauen des vormaligen Bisthums Halberstadt, gesammelt von Chr. Fr. Bernh. Augustin. Nach Notizen des verewigten Dr. Augustin beschrieben von Dr. A. Friederich. Wernigerode 1872 pag. 5.

3) Cfr. Fr. Ritschl l. l. pag. 10.

Friederichii industria restituta, qui, qua arte fracta hominum membra variaque corporis humani menda ac vitia sanat et corrigit, eadem vasorum fictilium disiecta membra summa sagacitate et investigare et conferre et conglutinare solet. Si vero nimium deest, ut ex suis fragmentis vas restitui non possit, tamen, dummodo satis magnum supersit fragmentum, saltem formam vasis restituit, ut genuinam eam esse mathematicorum possis affirmare fiducia. Omnia nostra vasa fictilia quin cocta fuerint, dubitari nequit. Multa quidem saecula sub humo humore mollita nisi summa cum cura effodiuntur, facile dilabuntur. Sed caute sublata et abstersa ipso aere durescunt pristinamque recipiunt firmitatem, ut plurimis eorum, quae nunc in usu sunt, non multum aut nihil cedant. Formis ac magnitudine, cum ad varium hominum usum adaptata sint, magnopere inter se distant; pulchritudinis alia aliis maius studium indicant. Longe quidem absunt ab arte Graecorum, quorum e vasis omnibus, sive ad decus sunt, ut ait apostolus, sive ad dedecus, elucet pulchritudinis studium. At nos ne nunc quidem pulchriora vasa habemus; immo propter simplicitatem et gratam quandam venustatem illa magis placere debent.

Multo quidem magis qnam fictilia vasa aënea oculos in se convertunt. Sed quoniam eorum apud Tacitum mentio fit nulla, transeamus ad arma, de quibus cum aliis Germaniae locis disputatur, tum in capite VI. haec traduntur: *Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. Hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt, pluraque singuli atque in immensum vibrant nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio, scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea.*

Ferrum quondam non superfuisse Germanis, qui ne hac quidem aetate ferrea ex omnibus suis ferrariis sibi satisfacere possunt, sed aliunde apportare coguntur, antiqua nostra monumenta perlustrans facile tibi persuaseris. Nam si lapideorum aëneorumque instrumentorum copiam cum ferreis comparaveris, ea perpauca fuisse coniicies. At constat, cum aes eique lapides, quibus pro instrumentis uti solebant, vel innumerabili annorum serie non deleantur, ferrum, ni caveas humoremque arceas, robigine consumi et paulatim paene evanescere. Sed etiamsi hoc quoque non neglexeris, magnam ferri penuriam fuisse non negabis. E telis autem Germanos quam maxime frameis usos esse et hoc loco et aliis satis fit perspicuum; cfr. cap. XI. XIII. XIIII. XVIII. XXIIII. Ferrea frameae cuspis in Museo nostro una tantum servatur, satis illa firma quidem et solida, minime tamen pulchra et formosa. Ceteras quoque frameas ferreas similes fuisse, idcirco affirmare nolim, quod, quo minutiores et artificiosiores erant, eo facilius corrumpebantur. Pulchriores sunt aëneae, e quibus una prope silvam Sancti Viti ad collem Koehlerbrink reperta est. Magnopere inter se differunt, minus quidem forma aciei et magnitudine, quam qua parte hastilibus alligabantur. At perobscura et difficilis est quaestio de frameis eisque instrumentis, quae plerumque hoc nomine notantur, neque hoc loco dirimi potest controversia; quare nunc eam missam faciamus. Cuspidem lanceae maioris habemus, gladii, qui in conterminis regionibus in urnis incurvati passim reperti sunt, satis integri adhuc desiderantur. Desunt etiam loricae, cassides, galeae; harum tamen exstant partes quaedam et ornamenta, quibus fasciae aptatae esse videntur. Immensa autem barbarorum scuta cur perierint, elucet ex Annal. libr. II. cap. XIIII., ubi viminum textus vel tenues fucatae colore tabulae vocantur.

Hoc loco non alienum videtur monere, ubi plurimae nostri Musei reliquiae repertae sint, lapidea, aënea, ferrea permixte inventa esse vasa et instrumenta, ut ea aliquando simul in usu fuisse satis probabile sit.

Cap. XV. *Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed et publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque. Iam et pecuniam accipere docuimus.*

Torquem amisso per vulnus oculo pro praemio acceperat Flavus Arminii frater. Cf. Tac. Ann. II. 9. Qui hic exstant torques, aënei sunt magnamque inter se praebent similitudinem, ut, si ab uno tantum ceterorum imagines animo finxeris, non ita longe a veritate aberrare possis. Placebit commodi ornamenti cum simplicitate coniuncta venustas et apta extremarum partium iunctura. Quamquam non ex compluribus filis in se retortis constant, unde Forcellinus eos nomen habuisse dicit, tamen non iniuria torques (στρεπτούς) vocari ex tortu multiplicabili agnosces.

Tortae solebant esse etiam armillae Germanorum, quod et nostris exemplaribus cognoscitur et e carminis de Hildebrando et Hadubrando[1]) verbis elucet:

*uu*ant her dô ar arme
*uu*untanê bougâ
cheisuringû gitân,
sô imo sê der chuning gap
Hûneô truhtîn.

Erant igitur eae quoque inter dona, quibus publice Germani donabantur, quibusque praecipue eos gavisos esse cum ex aliis antiquitatis testimoniis[2]) tum ex egregii carminis, quod citavimus, verbis apparet. Haud raro reperiuntur multo maiores gravioresque quam quae in nostro sunt Museo, eximia vetustissimae artis specimina. Quae enim hic servantur, eae multo magis ad tenerae virginis brachia accommodatae sunt, quam viri fortis ac militis lacertis respondent. Hunc nulla nisi magna et gravia ornamenta decebant, vel procul conspicua et, si fors ferret, ad irritandum placandumve aeque apta. Quae vero a regibus dono dabantur, vix licet dubitari, quin non solum arte, sed etiam pondere insignes fuerint. Utrumque et pretium, quod habuerint, et magnitudo, quam vel procul ex altera Danubii fluminis ripa cernere possis, egregie elucet ex his Nibelungiadis verbis:[3])

Dô gie er (Hagene) bî dem wazzer hôher an den sant,
dâ er anderthalben eine herberge vant.

Er begunde ruofen vaste über die fluot.
'nu hol mich hie, verge,' sprach der degen guot:
'sô gip ich dir ze miete von golde ein bouc vil rôt:
â ist mir dirre verte, daz wizze, waerlîchen nôt.

Der verge was sô rîche, daz im niht dienen zam:
dâ von er lôn vil selten von iemen dâ genam;
ouch wâren sîne knehte vil hôhe gemuot.
noh stuont allez Hagene hie disehalp' der fluot.

Dô ruofte er mit der krefte, daz al der wâg erdôz,
wan des heldes sterke was michel unde grôz
'nu hol mich Amelrîchen, des herren Elsen man,
der von disen landen durch grôze fîntschefte entran'.

---

[1]) Tota hac disputatione cum paene domestica tractemus, liceat commemorare paucis ante annis Eduardum Jacobsium in libro manu scripto bibliothecae Comitis eiusdem argumenti carmen repperisse saeculo quarto decimo compositum. Vide eius libellum: Die ehemalige Büchersammlung Ludwigs, Grafen zu Stolberg in Königstein, und Mittheilungen zur deutschen Volksdichtung aus einer dorther nach Wernigerode gelangten Handschrift. Wernigerode 1868.

[2]) Geschichte der deutschen National-Literatur von A. F. C. Vilmar 9. Auflage p. 16.

[3]) Avent. XXV.

Vil hôch an sînem swerte er im den bouc dô bôt
— vil lieht und vil schoene was er, von golde rôt —
daz er in über fuorte in daz Elsen lant:
der übermüete verge nam selb daz ruoder an di hant.

Ouch was der selbe verge vil müelîch gesît.
diu gir nâch grôzem guote vil boesez ende gît:
dô wânde er verdienen daz Hagenen gold sô rôt:
des leid er von dem degene sint den grimmegen tôt.

Quod hoc loco monere non alienum videtur, cum in verbis *magna arma* non iniuria offenderint interpretes, quippe qui in telis minus desiderari magnitudinem, quam habilitatem existiment, arma autem ad tegendum, ut sint inhaerentia corpori tegmina, optari. Cfr. Ann. II. 14. Haec mihi causa fuisse videtur, cur Koechlyus scripserit *insignia arma*, quod Henricus Schweizer-Sidler recepit. At nec minus verisimile est in *arma* latere vitium nec *insignia* a librariis in *magna* mutatum esse ullam habet probabilitatem; at si forte *armillae* scriptum erat exeunte linea, facillime fieri potuit, ut mutilaretur et pro *magnae armillae magna arma* legeretur. Sed qualiscunque est haec suspicio, non potest non in eam incidere, cui usus ille antiquis carminibus in memoriam reducitur, et in Museo nostro armillae torquesque in una et eadem cistella coniuncti sub oculos cadunt.

Pecunia, quam Romani Germanos accipere docuerunt, quoniam Romana[1]) fuit, magis quidem pertinet ad Romanorum, quam Germanorum antiquitatem. Sed quatenus aliquando in commercio his fuit commodo, eius commemoratio non prorsus aliena est ab huius disputationis consilio. Sunt autem in Museo nostro duo tantum nummi antiqui. Alter ad vicum Minsleben repertus in adverso exhibet caput laureatum et litteras IMP CAES DOMIT AVG GERM PM TRP VIII, in reverso litteras IMP XIX COS XIIII CENSPRP et Minervam dextra manu sagittarum fasciculum, sinistra lanceam tenentem; ad pedem deae scutum acclinatum. Alter prope vicum Dannstedt inventus in adverso habet caput fascia ligatum cum litteris IMP TRAIANO AVG GER DAC-PM TRP; in reverso COSVPPSPQR OPTIMO PRINC. In Museo nummario Comitis sunt centum septuaginta quinque nummi antiqui et duplicem paene numerum Carolus Zeisberg collegit filiisque reliquit. Horum quoque haud exiguam partem in manibus antiquorum Germanorum fuisse satis quidem probabile est; sed cum de ea re nihil constet, ad reliqua transeamus.

Magis etiam quam armillarum torquiumque formositatem admiraberis elegantiam atque habilitatem fibularum. Earum mentio fit in cap. XVII. *Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum.* Nostrae quidem sunt aëneae eisque simillimae, quibus feminae nescio e quo tempore, certe compluribus ex annis vestem conserere solent et, ne acubus laedantur, cavere possunt. Habemus pulchras optimeque servatas fibulas, sed aliis in Museis etiam artificiosiores adsunt, quas hodiernorum opificum ars non multo superaverit.

Cap. XXIIII. *Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit; quamvis iuvenior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia; ipsi fidem vocant. Servos conditionis huius per com-*

---

[1]) Cf. Germ. cap. V. *Proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua et vilia mercantibus.*

mercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant. Foedae huius temeritatis ac pervicaciae testis unicus adest, alea cubo similis, sed angulis obtusis et uno tantum in plano numero eoque quinario signatus. Nihilo minus vel hoc vili ossiculo fieri potuit, ut de tota re familiari et ipsa de libertate et corpore contenderent.

Cap. XXXI. *Fortissimus quisque* (Chattorum) *ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat.* Ferrei annuli non desunt quidem, qui vero eorum usus fuerit, non liquet.

Cap. XLV. (Aestii) *matrem deum venerantur; insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omniumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostes praestat.*

Mater deum haud dubie Nerthus est sive Terra mater, quam Schaffarik Borussorum et Littavorum Seevam sive Zeunesmahti, aestatis atque frumenti deam, Slavorum autem Zisam fuisse docuit. Aprum autem, cuius forma scuta galeasque ornabant, maiores nostri animal nobile fortissimumque existimabant, a quo ipse Odin eam aciem cuneiformem, quae suinfylking i. e. caput porcinum vocaretur, didicisset.[1]) Signa illa aprorum partim ex metallis confecta esse, quod Henricus Schweizer-Sidler opinatur, cum per se satis verisimile est, tum uno, quod in Museo nostro asservatur, si re vera ab Aestiis originem duxit, comprobatur. Ad ornandum scutum vel galeam, quamvis accurate confectum, non satis aptum videtur. Est enim ea qua amuleta esse solent magnitudine. Repertum est prope Halam Saxonum longe ab Aestiorum finibus.

Ibid. (Aestii) *et mare scrutantur ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis nullo in usu, rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt.* Licet ipsis Aestiis sucinum nullo in usu fuerit, ceteris Germanis non fuisse non videtur, quandoquidem inter antiquitatis Germanicae reliquias etiam sucinea ornamenta exstant, velut in nostro Museo, ubi adest orbiculus perforatus simillimus eis, qui nunc in magna Germaniae septentrionalis parte a mulieribus puellisque agrestibus filo pertracto pro monilibus gestantur.

Cap. IX. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem et Herculem concessis animalibus placant.* Cap. XXVII. *Funerum nulla ambitio. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur.* Urnarum omniumque nostrarum rerum haud exiguam partem Augustinus in tumulo, qui in agri inter Halberstadium Derenburgumque loco editissimo erat exstructus, ante hos LV annos ipse detexit, et reperta accuratissime descripsit.[2]) Iam dudum vir sagacissimus locum editum non collem naturalem, sed tumulum esse ab hominibus congestum suspicatus, etiamsi non suetam illam circularem globosamque Germanorum bustorum formam exhiberet, mox permultorum hominum sepulcrum esse cognovit. Accuratius autem inspicienti non unus tantum tumulus, sed compluribus tumulis compositus esse visus est, qui quamquam magna annorum serie iam corruere et naturali quodam motu sua ipsorum gravitate quoquoversus vergere coeperant, haud difficile in quinque partes distinguebantur. Tumulorum naturam ut cognosceret, eos perfodere statuit.

Et primum quidem, quem aggressus est, tumulum, quod ipsa ex inaequali eius superficie iam antea vir acerrimi ingenii divinaverat, alios iam pridem perscrutatos esse mox apparuit, cum praeter testas et cultrum saxeum nihil teneret.

---

[1]) Cf. Jac. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache. Erster Band p. 57.
[2]) Cfr. Die Halberstaedtischen Blätter. Eine Wochenschrift herausgegeben von Dr. Chr. Friedr. Bernh. Augustin. Halberstadt 1823. Nr. 32. 33. 34.

Ad alterum cum transisset, primum invenit ossa duorum hominum cineribus carbonibusque superimposita, quibus remotis apparuit fornicatum hemisphaerium super basin decem pedes patentem in sex pedum altitudinem exstructum. Suberant cineres partim ravi partim rubicundi cum intermixtis carbonibus, quibus permagna ambustorum ossium copia contegebatur. Erant autem ossa puerorum puellarumque cum paucis tantum adultorum hominum fortasse feminarum. Imo autem tumulo in humo humida magna vasorum fictilium reperta est copia, e quibus viginti sex servari poterant: patellae urnae urcei. Praeter duas urnas, in quibus singula erant ossicula fortasse fortuito illata, nullae continebant combustorum hominum, reliquias. Vasa non singula, sed bina, terna, quaterna collocata quaternis lapidibus cingebantur, quinto desuper tegebantur. Propter patellas plerumque ipsas inversas, fortasse motu illo naturali ab eis deiecta, tenerrimorum infantium iacebant crania bina ternave. Prope aberat magna vis ambustorum ossium, quae tenerae aetatis puerorum esse satis erat perspicuum. Inter ea quinque cultri sacrifici diversissimae magnitudinis et cultellus ad detrahendam pellem aptus reperti sunt, omnes saxei.

Tertius, quem perfodere coepit, tumulus quattuor lapidibus, quibus quintus superimpositus fuit, signatus subter similem lapidum congeriem continebat ossa adultorum hominum in altitudinem duorum pedum cumulata. Ad marginem tumuli viginti pedes in longitudinem carbones et ambustorum lignorum reliquiae erant aggestae, quas pinorum esse quercuumque etiamtunc cognosci potuit. Similes nec tamen ita conspicuae in ceterorum quoque tumulorum margine erant exteriore. Aliae antiquitatis reliquiae in hoc tumulo nullae exstabant.

Quarti tumuli lapides non ita artificiose erant compositi, quamquam et hic non deerat basis illa lapidea, super quam in duobus aliis tumulis hemisphaerium erat exstructum. Totus autem tumulus refertus erat ossibus virilis aetatis hominum partim armis, ut visum est, dissectis rubrisque cineribus opertis. Aderant praeterea unum tantum vasculum integrum, testae, variorum instrumentorum aerugine adesorum reliquiae. In summo fere tumulo rubicundi apparebant cineres.

Quinta denique pars in urna optime servata duabus cum fibulis ad unum omnia continebat ossa infantis recens nati, qui in strage ingentis multitudinis hominum solus eius sepulturae honoris particeps fuisse videtur. Hominem enim prius quam genito dente cremari morem gentium non fuisse discimus e Plinii hist. nat. libr. VII. cap. XVI.

Satis vel ex hac descriptione existimo elucere non temere de tumuli natura Augustinum iudicasse, cum eum horribilis stragis locum ingentisque immolatorum hominum multitudinis sepulcrum esse diceret. Idem intellexit non soli Mercurio Germanos in illo loco *humanis hostiis litasse*, sed *victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravisse, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dabantur*. Cfr. Tacit. Ann. XIII. 57. Non minus perspicuum est in sacrificandis hostiis distinctum fuisse non solum inter aetates, sed fortasse etiam inter sexum; quin etiam ex lignorum reliquiis et cinerum diversissimo colore non absurdum est coniicere id quoque observatum fuisse, *ut corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur.*

Tacitus, quod Germanos Mercurio certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habuisse, Martem concessis animalibus placavisse narrat, ab Henrico Schweizer angustioribus finibus, quam licuerit, illum ritum circumscripsisse dicitur, cum in ipsius libris non desint argumenta, cur etiam Marti et ipsi Nertho homines immolatos esse credamus. Non recte. Nam si verbum placandi urgemus, Germani minus religione obstricti et obligati ad deum placandum, quam ira atque furore incensi barbarum illum morem secuti esse videntur; sin nimium nos verba urgere dixeris, monebimus Tacitum perspicue de vulgari tantum ac solemni sacrorum usu, non de raris quibusdam et singularibus Germanorum crudelitatibus verba facere. Servos autem, qui, cum Nerthum secreto lacu abluerunt, eodem lacu hausti sunt, non magis pro hostiis habeam, quam ministros, qui postquam

Attilam humaverunt, ab Hunnis trucidati sunt, sacrificatos esse dixerim. Tacitum igitur et hoc loco probum cautumque scriptorem se praestitisse putemus neve dubitemus, quin, quo plura antiqua Germanorum monumenta et rerum et litterarum pervestigentur, eo magis illius fides comprobetur.

Vos autem, iuvenes in studio litterarum hic versantes, magnopere adhortor, ut cursum, quem coepistis, teneatis, et exempla illa scholae nostrae alumnorum, quos saepe laudavimus, sacerdotis dico iam dudum vita defuncti et medici, quem superstitem esse gaudemus, studiose sequentes comprobetis illud Goethii:

Wie fruchtbar ist der kleinste Kreis,
Wenn man ihn wohl zu pflegen weiss.

Quod si feceritis, suffragante fortuna vobis quoque evenire poterit, ut res adhuc occultas aperiatis in lucemque proferatis. Valete.



Jahres-Bericht.

I.

Vertheilung der Lehrstunden.

Winter-Semester 1872—1873.

Lehrer	I.	II.	IIIa.	IIIb.	IV.	V.	VI.	Summa
Rector **Bachmann**	2 Lateinisch	2 Lateinisch 2 Griechisch		3 Geschichte u. Geographie		3 Französisch		12
Prof. Dr. **Goebel** *(Ord. I.)*	6 Lateinisch 4 Griechisch 3 Geschichte		2 Lateinisch 3 Geschichte u. Geographie					18
Oberl. **Hertzer**	4 Mathematik 2 Physik	2 Deutsch 4 Mathematik 1 Physik	3 Mathematik	3 Mathematik				19
Oberlehrer *Dr.* **Ebeling** *(Ord. IIIa.)*		4 Griechisch	2 Deutsch 8 Lateinisch 6 Griechisch					20
Oberlehrer *Dr.* **Grosch** *(Ord. II.)*	3 Deutsch 2 Französisch 2 Hebräisch	2 Religion 8 Lateinisch 2 Hebräisch						19
Gymnasiallehrer **Fischer** *(Ord. IIIb.)*		3 Geschichte		2 Deutsch 8 Lateinisch	6 Griechisch	2 Geographie		21
Gymnasiallehrer *Dr.* **Franke** *(Ord. IV.)*	2 Griechisch	2 Französisch	2 Französisch		2 Deutsch 10 Lateinisch 3 Geschichte u. Geographie			21
Gymnasiallehrer *Dr.* **Lehmann** *(Ord. V.)*				2 Deutsch 6 Griechisch 2 Französisch		2 Deutsch 10 Lateinisch		22
Gymnasiallehrer *Dr.* **Baeber** *(Ord. VI.)*			2 Naturkunde	2 Naturkunde	2 Religion 2 Französisch	2 Deutsch 10 Lateinisch		20
Musik-Director **Trautermann**	1 Singen		1 Singen		3 Rechnen 2 Zeichnen 2 Singen	3 Religion 3 Rechnen 2 Singen	4 Rechnen 2 Singen	23
Lehrer **Sievert**						2 Naturkunde 2 Zeichnen 3 Schreiben	3 Religion 2 Geographie 2 Naturkunde 2 Zeichnen 3 Schreiben	19
Cabinets-Secret. **Schöpwinkel**	2 Zeichnen							2
Superintendent *Dr.* **Arndt,**	2 Religion		2 Religion					4

Die Stunden des Herrn Dr. Franke in Prima und Quarta nebst dem Ordinariat dieser Klasse hatte im Sommer-Semester Herr Dr. Schirlitz, ausserdem Deutsch in Prima. Statt der deutschen Stunden in dieser Klasse hatte Herr Dr. Grosch in Secunda und Tertia Französisch. Die Religionsstunden in der Tertia gab Herr Dr. Baeber getrennt und hatte in dieser Klasse dann nur je Eine Stunde Naturkunde.